

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

enim Deus habitat in templis manu hominum confectis; sed cœlum est sedes ejus, terra autem scabellum pedum ejus, Esa. 66. v. 1.

2. *Scopus*, ob quem Patriarcha hoc opus suscepit? Nempe egressus est ad orandum, vel, ut in textu originali sonat, ad meditando. Ex quô apparet Sanctos Dei homines habuisse certas horas canonicas, quibus Deo supplicarunt, meditationesque sacras instituerunt. Textum sumserunt ex libro *natura*, qui quatuor præcipue folia continet, cœlum, aerem, terram & mare. In unoquoque invenimus, quod nos ad cognitionem Dei deducere valet. Quot enim stellæ sunt in cœlo, quot avium species in aere, quot genera animalium & herbarum in terra, quot mineralia & metalla sub terra, quot piscium discrimina in mari: tot beneficentiæ, omnipotentia & sapientiæ divinæ testes habemus. Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum, Ps. 19. v. 1. Simul etiam promissionem, de benedicto semine mulieris meditati, multum exinde solatii ceperunt. Hæ sacræ ipsorum meditationes fuerunt, inter quas aves in aere cantilenis suis devotionem eorum magis excitant.

Nos quoque ad exemplum Patriarcharum quotidie meditationes sacras instituere debemus: Beatus enim vir, cujus in lege Domini voluptas, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, Ps. 1. v. 2.

3. *Fructus*. Isaac, meditationibus absolutis, domum reversuro, nutu Dei Rebecca amicissima occurrebat, quam Pronubus Eleasar ipsi adducebat: sic non sine fructu est, si mundo valedicto, in operibus, beneficiis Dei per diligentes meditationes nos ex-

erceamus & oblectemur. Hoc piorum iuge convivium, Prov. 15. v. 15. quo latantur, sicut qui invenit spolia multa, Psal. 119. v. 162. & quasi præsentis sunt ad Dominum, 2. Cor. 5. v. 8. Ideoque non multum recordantur dierum vitæ suæ, eò quod Deus occupet gaudio cor eorum Eccl. 5. v. ult. Eiusmodi enim spiritualis meditatio est quasi scala cœli, Jacobo visa, in qua ascendunt ad Deum, Gen. 28. v. 12. & societatem habent cum Patre & Filio. 1. Joh. 1. v. 3.

Simile quid conspicimus in Parentibus Christi, Josepho & Maria, qui omnia, quæ de puerulo vident atque audiunt, diligenter ad animum sibi revocant, quo ipso quasi extra se rapti, nesciunt, quid dicant aut cogitent. Interea tamen gaudio superfunduntur, quod Dei gratia vivi ad gratiosum hoc tempus pervenerint, ut pluribus ex prælecto Evangelio audiemus.

Sed proposito nostro inservientes, discemus ex illo:

- I. Ἀθηρολογία, sive notitiam nostri.
- II. Χριστογνωσία, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

DE Virgine Maria in prælecto Evangelio audimus, quod ipsi Simeon annunciat, fore, ut animum ipsius gladius pertranseat, idque ideo, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Hic est gladius tribulationis, qui sæpius animam ipsius pertransit, non modo cum Herodes pueruli vitæ insidiaretur, ut nocte tenebrosa cum eo in Ægyptum proficisci teneretur, Matth. 2. v. 14. sed tum præcipue, cum filiolum suum dilectissimum in tertium usque diem amissum anxie quæreret, Luc. 2. v. 48. Maxime vero tempore passionis, ubi sub cruce

F 3

stetit

stetit & vidit, eundem inter cœlum & terram, in medio latronum pendentem & dicentem: Mulier ecce! filius tuus; Et ad Johannem: ecce mater tua! Joh. 19. v. 26. 27. hoc ipso multorum cogitationes revelatae sunt, dum multi defecerunt, & Christum ad mortem postularunt, qui ante Hosanna cecinerant, Matth. 21. v. 15. Regemque facere volebant, Joh. 6. v. 15.

Nos hac vice itidem utimur spirituali hoc gladio, eoque percutimus, non mala intentione, sed ut multorum cogitationes revelentur, & ad agnitionem sui deducantur. Imprimis *notitiam nostri* discimus, si perpendimus:

I. *Simeonis Prophetationem*. Nam benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce, positus hic est, in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicitur. His verbis respicit Simeon vaticinia Prophetarum, quæ de Christo, ut lapide vivo prædixerunt, qui credentibus honor, non credentibus autem lapis offensionis, & petra scandalii factus sit, uti S. Petrus vaticinia illa expresse Christo applicat, 1. Petr. 2. v. 7.

Hæc mira comparatio est, quæ diligenter quoque consideranda, quia alias in Evangeliiis non occurrit. Consistit autem illa in sequentibus:

Lapis durus & compactus est, ideoque pro fundamento adhibetur. Domus enim, quæ petrae innititur, à ventis & pluviis non prosterne potest. Matth. 7. v. 24. Sic Christus immobile fundamentum & petra Ecclesiae est, adversus quam portæ inferorum non prævalebunt, Matth. 16. v. 18. Vide Psalm. 87. v. 2.

Lapis gravis est, & propter gravedinem

tendit deorsum in terram: Sic Christus Salvator noster gaudio semper frui potuisset in sinu patris cœlestis: sed amoris nostri percitus, cœlo relicto, seipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis Phil. 2. v. 8. Unde Ecclesia:

Herr dein Lieb so groß dich gezwungen hat /

Daß dein Blut an uns groß Wunder that /

Und bezahlet unser Schuld /

Daß uns Gott ist worden hold /

Lapis laevis, vel etiam occidit, quem offendit. Jud. 9. v. 51. & seqq. Sic de Christo: Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum, Matth. 21. v. 44.

Hic examinate, mi Christiane! utrum Salvator tuus, qui in hunc mundum venit, ut omnibus esset ansa resurrectionis, tibi præ intentionem suam, lapis offensionis, & signum contradictionis factus fuerit?

Hoc non tantum olim factum est à scribis & Phariseis, & impiis Ethnicis qui Christo sese opposuerunt, eique contradixerunt ut ipsi Judæi confitentur, Act. 28. v. 2. Sed & hodie fit, cum à Judæis, qui destinata malitia & obcecatione Christum recipere nolunt: tum ab ipsis Christianis, qui impia vita sua Christo resistunt, dum peccati ministrum, Gal. 2. v. 17. ipsum constituunt, vim Christianæ fidei infringunt, & denuo eum crucifigunt, Heb. 6. v. 6. Quin & ab iis, qui crucem fugientes, in regno ejus, quod spirituale est, terrenas felicitates quarunt. Sed durum his erit adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 5. Confringentur enim & conterentur ab hoc lapide, Matth. 21. v. 44. nî respiciant in tempore.

Credamus potius in ipsum, sic nobis honor

nor erit. Qui crediderit in eum non confundetur. 1. Petr. 2. v. 6. 7.

II. *Hanna commendationem.* Huic Evangelista egregium Elogium tribuit, quando ait: Et erat Anna Prophetissa, filia Phanael, de tribu Aser. Hæc processerat in multam ætatem, & vixerat cum viro suo, annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte & die.

Hic speculum habemus sexus scemine, quod Hanna nobis intuendum proponit. Erat enim virgo, cum viro nuberet. Sicut Rebeccam Spiritus Sanctus commendat, quod fuerit puella, decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro Gen. 24. v. 26. Postquam vero matrimonium contraxit, vixit cum viro annis septem, quod observatu dignum est. Inveniuntur enim in hac mundi fece, quæ juxta viros legitimos cum aliis scortantur, Jud. 19. v. 19. in absentia maritorum allicientes juvenes, ex Prov. 7. v. 16. Hoc Hanna non fecit, sed cum marito suo, caste & pudice vixit. Imitentur hoc exemplum omnes Christianæ matronæ. Honorabile sit connubium in omnibus, & torus immaculatus, Fornicatores enim & adulteros judicabit Dominus. Hebr. 13. v. 4.

Viduatus quoque ejus mentio fit, vidua enim erat, usque ad annos octoginta quatuor. Quod si ad secunda vota procedere ei libuisset, nemo id inhibere potuisset, juniores enim viduas Paulus nubere vult. 1. Tim. 5. v. 14. Sed ultro in viduatu mansit, eum que ita duxit, ut nusquam de templo discesserit, sed jejuniis & observationibus nocte & die Deo suo servirit. Hæc

præclarum est præconium, quod melius est, quam unguentum preciosum, Eccl. 7. v. 2. Pretiosum unguentum diu odorem disperdidisset: De Hannæ vero pietate ultra mille sexcentos annos in Ecclesia prædicatum est, adhuc prædicatur, & prædicabitur usque ad diem novissimum. Hinc David Psal. 111. v. ult.

Pro bent se Christiana Matrona, an exemplum Hanna non dicam æquare, sed imitari duntaxat, operam dederint! Vereor ne illud Juvenalis hic locum habeat:

Raro quippe boni, vix sunt numero totidem, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Haud enim adeo infrequens hodie est, ut Hymenæus & Lucina simul nuptias celebrent, vel hæc illi intemptive succedat. Sed hæc laus sordet Idcirco non mirum est, si montes mali irruant, & miseram vitam perpetuo agant, Mal. 3. v. 9.

Hanna vivebat annis septem cum viro suo. Sed multa hodie meretriculæ inveniuntur, qui maritis domi neglectis, cum aliis deambulando, vel alio quovis modo, sese oblectent. Unde gravissima ipsis ratio reddenda. Siracides nihil æque ac castitatem commendat ideo dicit: Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata. Sir. 26. v. 19.

Hanna in viduatu vivebat caste & pudice, nec discedebat de templo: sed jejuniis & obsecrationibus serviebat Deo, die ac nocte. Hodie multæ viduæ inveniuntur libidinosæ & lascivæ, quæ in delitiis vivunt, ex hac domo in aliam transcurrunt, non vero obsecrationibus & orationibus instant, ut Regula earum sonat, ideoque viventes mortuæ sunt. 1. Tim. 5. v. 5. 6.

Hæc

Hæ ab Hanna discant, quid sui sit officii, diligenter orent, assidue templum frequentent, ubi auditur vox laudis, & enarrantur universa mirabilia Dei. Psal. 26. v. 7. Hoc unicum est necessarium. Luc. 10. v. 42.

III. *Parentum Christi perseverationem.*
Non enim prius revertebantur domum, donec omnia perfecterant, secundum legem Dei.

Hic reipsum proba, an etiam ejusmodi devotione & cultu, cultui divino ab initio ad finem interfueris?

Sæpe accidit, ut huic vel illi tædium oboriatur concionis audiendæ, ut libenter valdiceret cœtui congregato, si per alios liceret, & sine propudio posset: quanta illis devotio sit facile conjicere licet. Sed decori hoc est Christiano! Genuini Christiani merito tam diu expectare debent, dum benedictione Ecclesiastes eos ornet, & concionem in pace dimittat, ut ipse Deus mandavit, Num. 6. v. 21. Qui hoc non facit, in illo implebitur illud Davidis, Psal. 109. v. 17.

Quando apes novis fœtibus exundant, volatu sursum feruntur, simul ac autem tinnire audiunt, delabuntur rursus & arbori se applicant. Ita res comparata est, cum ejusmodi hominibus, ut interdum corda per devotionem ad Deum elevare videantur, simul ac autem Diabolus pecuniarum aut voluptatum tinnitum excitat, omnem devotionem abjiciunt, & temporalibus cor apponunt, ut Demas, qui Paulo relicto, hoc seculum diligebat, 2. Tim. 4. v. 10. Hi sunt hypocritæ, qui circumferuntur, omni ventis doctrinæ, Ephes. 4. v. 14. Sed alia mens est genuinis Christianis, qui diligunt habitaculum domus Dei, & locum habitationis gloriæ ipsius. Psal. 26. v. 8. Sir. 3. v. 31.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, contemplaturi, *χρησις ἡμετέρας*, sive *notitiam Domini nostri Jesu Christi*. Hic nobis proponitur:

I. *Tanquam puer admirabilis.* Nam Pater ejus, & Mater ejus erant admirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Vere Jesus recens natus, puer admirabilis est, de quo recte Justinus: *πάντα ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν ἢ κλίσεως φύσεως*. Omnia quæ de hoc puero dicuntur, excedunt omnem non modo hominum: sed & angelorum intelligentiam, atque iudicium, ut non modo nos homines in admirationem rapiamur: sed in quæ angeli etiam desiderant prospicere, 1. Petr. 1. v. 12.

Olim septem mundi miracula, in magna admiratione versabantur: sed flocci fiunt, quando cum puero hoc admirabili conferuntur.

Admirentur alii *templum Diana*, quod Ephesi fuit, cujus ædificatione Asia ducentos annos occupata fuit, cujus mentio fit, Act. 19. v. 20. Nos Christum mirabimur, cujus corpus templum mirificentius est, Joh. 2. v. 19. in quo tota plenitudo divinitatis habitat corporaliter. 2. Col. 2. v. 9.

Alii admirentur *Epitaphium pretiosum*, quod Artemisia marito suo Regi Mausolo, quam artificiosissime extrui curavit. Nos Christi admiratione tenemur, cujus sepulchrum multo pretiosius fuit, quia in eo corruptionem non vidit, Ps. 16. v. 10. sed tertio die vivus surrexit, atque prodiit, Marc. 16. v. 6.

Alii admirentur, *magnam solis similitudinem*,